



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

ETHICÆ

Tractatus Quartus.

De Passionibus.

P R O O E M I U M.

Dua sunt partes humana conditionis: agere in corpus, & pati à corpore, de quibus & in *Metaphysicâ* & in Tractatu *Ethico* 1. circa inspectionem nostram pluscula diximus; posterior pars complectitur sensus & affectus, & hos quidem potiore jure, quia ideo specialiter etiam passiones vocantur apud omnes homines.

Parva vero inter sensum & passionem est diversitas: conveniunt 1. Quod ambo dicant perceptionem aliquam nostram, qua non est aliud, quam certus modus habendi, quo nos habemus intus, & in mente seu animo, cujus modi per conscientiam qua illum in nobis intime sentimus conscii & certe reddimur: veluti cum video, tali aliquo modo me habeo, cum amo tali aliquo alio modo me habeo,

E habeo, quos modos in me per conscientiam evidentissime recognosco; 2. Conveniunt in eo, quod ambo (sensus, inquam, & affectus) nobis obveniant à corpore nostro, ita ut si eo careremus, modis quoque illis omnibus nos carituros esse clare intelligamus. Sed differunt in eo, quod perceptionem sensus solemus referre ad res externas, tanquam inde provenientes, & plerumque cum existimatione, quod eæ res similiter affectæ sint, similemque habeant modum aliquem, qualem nobis ingerant (sic cum videmus lumen, perceptionem seu speciem illam referimus in solem, ignem &c. existimantes ipsa tali specie imbuta esse) perceptionem vero, quæ in affectu seu passione reperitur, atque illam speciem non referimus ad res extra nos positas, nec existimamus eas quidquam simile in se habere: E. G. inimico obviam facti, licet odio ejus vel timore percellamur, non existimamus, ipsum in se talem habere speciem, qualis nobis occasione ejus incutitur.